

dem difficultas fieri posset, si Ecclesia explicite definiret suam infallibilitatem: et tamen quis non videt Ecclesiam posse suam infallibilitatem explicite definire? cur enim hoc dogma quod deposito revelationis certe continetur, excludetur a censu eorum circa quae magisterium Ecclesiae sententiam suam ferre potest, cum omnis veritas revelata obiectum sit magisterii Ecclesiae? Nec ulla est heic petitio principii. Satis est enim supponere principium aliquod universalis, nempe magisterium Ecclesiae esse magisterium divinitus institutum, cui omnes homines credere debent, ut salvi fiant: quod motivis credibilitatis certum est rationi. Hoc posito scimus credendum esse magisterio huic in iis omnibus quae tanquam sibi a Deo tradita docet, iusque illi esse docendi quicquid a Deo revelante accepit; in quo infallibilitas quoque sua, quod nemo negat, continetur. In hoc processu rationis infallibilitas magisterii iam tenetur cum tenetur ipsum esse magisterium divinum, est enim illud ab hoc inseparabile: existente vero speciali actu eiusdem circa suam infallibilitatem, fides illa divina, quae propter motiva credibilitatis habebatur, confirmatur rursus, efficiturque *divina catholica*, cuiusmodi est fides quae veritatibus a magisterio Ecclesiae propositis adhibetur.

2) Quoad Romanum vero Pontificem definientem suam infallibilitatem, satis esset supponere quod certissime creditur in Ecclesia, quod et Gallicani profitebantur, quamvis quicquid eo continetur, recipere nollent; scilicet Romanum Pontificem esse Petram Ecclesiae, esse Pastorem et Doctorem omnium, universam Ecclesiam obedire debere Romano Pontifici: hoc enim posito consequens est decreta etiam fidei ab eo lata obligare omnes, credendumque esse ab universa Ecclesia quod ipse docet, idque iure divino; ideoque et credendam eius infallibilitatem, si eam definit. Quare infallibilitas Romani Pontificis et implicite crederetur cum creditur ipsum esse Ecclesiae Petram, et explicite colligeretur theologice ex iis principiis, ac tandem propter auctoritatem ipsius supremi Pastoris obligantem omnes, cum nossent fideles imo universa Ecclesia se obedire debere illi ab eoque pasci, crederetur quoque fide catholica eius infallibilitas, si decretum fidei de ea re Pontifex solus ederet.

Et ut ob oculos res ponatur, fac Romanum Pontificem ex se solo definivisse suam infallibilitatem et doctrinam hanc proposuisse tenendam ab universa Ecclesia sub poena negatae suae communionis iis qui nollent obedientiam fidei praestare: quid censes putaturam fuisse Ecclesiam sibi integrum esse? an detrectare fidem? verum quo abiisset unitas inter Petrum (quae est ipse sedens in cathedra Romana) et aedificium? quo fides illius dogmatis: Romanum Pontificem esse Pastorem et Doctorem omnium Christianorum? Scilicet

sensisset universa Ecclesia ex ipsa sua insita dependentia, ex divina institutione, a Romano Pontifice, necessitatem sibi incumbere credendi: et idcirco sola definitio Pontificis fuisset satis pro definiendo hoc dogmate in Ecclesia.

Et re quidem vera proprium est auctoritatis cuiusque supremas suas praerogativas affirmare, iudiciumque eius est irrefragabile. Id ergo et voluit Christus in Ecclesia sua: suprema autem auctoritas in Ecclesia est penes Romanum Pontificem. Voluit ergo Christus ut ipse irrefragabiliter iudicium ferre posset de suis praerogativis, ideoque et de infallibilitate, an ei competat, nec ne. Porro id nobis satis est ut credamus testanti Pontifici suas praerogativas, ipsamque infallibilitatem; credendum est enim illi, cui Deus vult credi.

Ceterum advertendum est non accurate loqui eos qui dicunt Catholicos credentes doctrinam definitam in Concilio Vaticano, non inniti nisi testimonio solius Pontificis. Si quis velit ei inniti, id quidem satis est, ut modo declaravimus. Verum non est id necesse. Distinguendum est enim inter infallibilitatem Concilii obiective in se spectatam, et subiective quoad nos. Si obiective in se spectetur, verum est infallibilitatem Pontificis esse rationem infallibilitatis ceterorum, eamque proinde antecedentem esse naturam infallibilitati ceterorum. Si autem subiective quoad nos spectetur, notior erat infallibilitas Concilii seu Pontificis cum Episcopis docentibus, quam Pontificis solius; ideoque ab illa ad istius notitiam progressus fieri poterat. Iam vero id contigit per definitionem vaticanam. Testificationi ergo totius Concilii non solius Pontificis credimus, cum infallibilitatem huius credimus vi definitionis vaticanae.

(De Concc. 2')

THESIS XXVIII.

*Nullum est proinde essenziale discrimen inter definitionem editam a solo Romano Pontifice et definitionem conciliarem, sed tantum accidentale. Quare Concilium oecumenicum nunquam est simpliciter necessarium; utile tamen et secundum quid necessarium non raro esse potest.*

I. Essentiale discrimen inter utramque definitionem sumendum est ex parte *valoris* actus, est enim utraque sententia iudicialis ecclesiastica obligationem inducens assensus in rebus fidei vel morum: porro cum idem sit obiectum, et utraque sit potestas ecclesiastica, nequeunt essentialiter differre nisi ratione valoris actus, et idcirco potestatis a qua oritur valor actus. Porro ex dictis manifestum est valorem utriusque definitionis esse essentialiter eundem, et ab eadem

potestate oriri: est enim uterque actus ex se infallibilis et irrefor-  
mabilis, obligans universam Ecclesiam; et actus est uterque supre-  
mae in Ecclesia potestatis, h. e. Primatus: ergo.

At discrimen aliquod accidentale interesse negari nequit, sive  
entitas actus spectetur, sive spectentur omnes effectus quos unus  
actus prae alio natus est producere. Quoad primum enim definitio  
conciliaris est actus ad quem auctoritas quoque Episcoporum con-  
currit, actusque est procedens a toto magisterio authentico; atque est  
proinde in se splendidior manifestatio, et sollemnior confirmatio ve-  
ritatis. Agit enim non tantum Caput sed et totum corpus simul  
cum capite. Quare in huiusmodi actu non habet tantum locum aucto-  
ritas *Papalis* sed et *Conciliaris*: auctoritas nempe etiam ceterorum  
qui membra sunt magisterii authentici a Christo instituti.

Dices: hoc ipso probari quod maior vis intrinseca insit definitioni  
conciliari. Nam cum Episcopi etiam docent, adest auctoritas quoque  
eorum, quae confirmat decreta fidei; quae auctoritas robur addit  
quoddam decretis quod in solius Pontificis definitione non reperitur.

Respondeo: cum quis dicit auctoritatem Episcoporum robur ad-  
dere decreto Pontificis, oportet ut concipiat auctoritatem eorum seor-  
sim ab auctoritate huius, simul tamen omnes convenientes in idem.  
Porro auctoritas Episcoporum est quidem ex se auctoritas quaedam  
gravis sed non peremptoria, unde doctrinam confirmat confirmatione  
incompleta: quamvis vero ex se aliquod robur licet imperfectum  
conferat doctrinae quam sancit, si tamen accedat decreto iam ex sese  
infallibili, nullum per se robur potest illi *formaliter* addere, tum quia  
illud ex se iam habet omnem firmitatem quam potest habere, tum  
quia quod est ex se infirmum, et per aliud firmandum nequit ac-  
cessionem suam firmare illud a quo firmandum est. Habetur ergo tan-  
tum additio quaedam materialis, quatenus plures sunt qui idem do-  
cent, actusque est sollemnior. Ratione ergo entitatis actus discrimen  
est inter definitionem solius Pontificis et conciliarem non formale  
sed materiale, quatenus ad hanc omnia subiecta concurrunt quae  
auctoritatem magisterii obtinent in Ecclesia; et sic manifestior et sol-  
lemnior est praedicatio veritatis.

Quoad alterum vero, h. e. quoad effectum definitionis conciliaris,  
primum distinguendus est duplex scopus Concilii nempe definitio  
aliqua fidei, et constitutio legum disciplinae. Porro primum nunc  
spectamus. Iam vero 1<sup>o</sup> ratione habita praevententis examinationis  
institutae ab omnibus Episcopis rei definiendae, Synodus apta est ex  
sese mentem Pontificis illuminare in inquisitione veritatis. Porro etsi  
Pontifex sit infallibilis, tamen (ut advertit Bellarminus De Conciliis  
L. I, c. 11) « non debet Pontifex in controversiis fidei diiudicandis aut

solo suo iudicio fidere, aut exspectare divinam revelationem, sed  
adhibere diligentiam quantam res tanta postulat, et ordinaria media,  
et tum demum exspectare assistentiam Spiritus S. et directionem  
divinam». Porro quodnam per se opportunum magis medium quam  
consultatio eorum, quos Deus testes et Doctores posuit in Ecclesia  
sua? Verum in hac re ne quis fallatur advertenda sunt duo: a) quod  
ad hunc effectum obtinendum non requiritur per se consilium omnium  
Episcoporum, sed (ut ibid. advertit Bellarminus) sufficit concilium  
particulare, idque factitatum est a Romanis Pontificibus in contro-  
versiis fidei cum praesertim doctrinam fidei conciliis oecumenicis  
praeformaturi erant: b) aliud est Episcopos interrogatos a Pontifice  
sententiam suam super aliqua re expromere, aliud synodum oecu-  
menicam eos constituere; ad hoc enim requiritur ut praeter com-  
munem consultationem Episcopi ferant cum Pontifice sententiam iu-  
dicialem ac definiant: porro ut finis ille obtineatur, qui est Pontificis  
illuminatio in investigatione veritatis, sufficit ex his duobus primum.  
Huius rei exemplum habes in definitione dogmatica Immaculati Con-  
ceptus.

2. Alter effectus synodi ratione rursus habita examinationis in-  
stitutae ab Episcopis simul notitias suas conferentium est uberior  
intelligentia dogmatis in ipsis Episcopis, quo fit ut Episcopi magis  
parati sint ad dogma ipsum pro munere suo docendum et tuendum.

Deinde 3<sup>o</sup> per conciliarem oecumenicam definitionem suavius et  
citius consuli generatim potest paci et unitati Ecclesiae; nam facilius  
obtinetur ut Episcopi in suis Ecclesiis strenue veritatem a se ipsis  
definitam tueantur, et adversarios profligent; atque facilius obtinetur  
ut haereses, quae audaciam et vires sumunt ex multitudine adhae-  
rentium, efficacius exterminentur, si iis statim consensus universalis  
sollemniore modo opponatur. Haec Marcianus significavit in epistola  
missa ad Episcopos quos vocabat ad Concilium (Conc. Chalced. p. 1,  
ep. 37.) causas convocationis docens; « quatenus convenientibus ani-  
mis, et omni veritate discussa, cessantibus etiam studiis, quibus ante-  
hac usi quidam sacrosanctam orthodoxam religionem conturbasse  
noscuntur, vera fides nostra cuncto seculo manifestius innotescat, ut  
deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia ».

Hic quidem effectus sedulo advertendus est, cuius rationem, nisi  
toti fallimur, non solum censemus esse sitam in infallibilitate divinitus  
concessa magisterio Ecclesiae, sed in ea quoque efficacia quae ex rei  
naturae inest consensui universali testium cum agitur de facto, cu-  
iusmodi est factum revelationis. Deus enim augens magisterium a se  
institutum charismate infallibilitatis, non subtraxit Ecclesiae sua media  
quae ex rerum naturis societati competere possunt. Porro ipse con-

sensus testium, quorum series successiva perpetua est et ex quibus posteriores a prioribus doctrinam accipiunt, iam est per se motivum certitudinis moralis et quidem maximae; atque hoc motivum vim plurimam habet erga haereticos, qui sprete tandem auctoritate magisterii Ecclesiae humanis rationibus reapse ducuntur. Cum igitur illis opponitur universam Ecclesiam testari id esse revelatum quod ipsi negant, necesse est ut hoc pondere auctoritatis obruantur, etsi velint vim tantum naturalem huius consensus considerare, non etiam vim supernaturalem ortam ex charismate divino infallibilitatis. Et sic in pluribus quaestionibus solent agere etiam theologi cum haereticis qui Ecclesiae infallibilitatem negant, cuiusmodi sunt Protestantes. Provocantes enim theologi ad testificationem Patrum spectant Patres ut testes historicos eius doctrinae quae olim in Ecclesia credita sit, factique revelationis.

Hinc fit ut per definitionem conciliarem roboretur, *extrinsece* quidem, sententia Romani Pontificis. Nam duplici modo roborari potest sententia doctrinalis ex consensu alterius. Intrinsicè, cum consensus alterius vim confert decreto per se nondum efficaci, et est proinde ratio, qua existente, certitudo in mentibus fidelium gignitur, qua non existente, ex ipsa rei natura non gignitur; quae idcirco confirmatio est *intrinseca*, intrinsicè robor conferens decreto. Extrinsicè cum consensus alterius decreto quidem nullam vim in se addit, neque proinde necessarius per se est pro certitudine fidelium: attamen removens impedimenta quaedam quae per accidens occurrere possent, efficit ut sententiae Pontificis assensus ille universalis existat, qui licet existere deberet, forte tamen ex pravitate vel infirmitate humani cordis non existeret. Id porro auctoritate suffragii Episcoporum obtinetur, quatenus universalem Ecclesiae consensum, ut diximus, manifestat. Haec est ea *confirmatio* de qua loquitur Leo epist. ad Theodoretum inquit *universae fraternitatis assensu firmari quod ipse definiverat*. Hoc significabat Marius Mercator inquit, sententiam Zosimi contra Pelagianos fuisse subscriptionibus Episcoporum totius orbis roboratam (cf. pag. 526). Adverte tamen quod si nomine confirmationis intelligas ipsam definitionem seu sententiam iudicalem, vere Episcopi in Concilio confirmant doctrinam confirmatione intrinsicè sententiae Conciliaris quae tamen per se est incompleta, et ad fideles refertur non ad Pontificem, ut diximus praeced. Thesi.

III. Huiusmodi vero efficacia definitionis conciliaris prae definitione solius Pontificis rationem sui habet non in aliqua nota qua secundum valorem actus intrinsicè ipsa differat a definitione solius Pontificis, at in nota essentiali quidem definitioni conciliaris, sed

respectu valoris accidentali, cuiusmodi est pluralitas docentium; propter quam effectus illi enumerati consequuntur, splendidior nempe notitia rei habetur, et pax Ecclesiae haeresumque debellatio facilius obtinetur; hos enim duos postremos effectus qui a valore definitionis pendent, per accidens est quod potius definitio conciliaris quam definitio solius Pontificis producat: per se enim haec vim omnem habet ad eos producendos. Unde neque semper obtinet hos effectus definitio Conciliaris, et identidem sola definitio Pontificis potius quam conciliaris idonea est ad pacem et unitatem actu conciliandam (cf. Bellarm. De Concil. L. I, c. 10).

Itaque si quaeratur quid tandem conferat suffragium Episcoporum ad definitionem fidei: respondendum est quod praeter maius lumen pleniorque rei notitiam, *intrinsece* confert maiorem sollemnitatem, cum existat definitio edita a toto magisterio: *extrinsece*, ut diximus, firmitatem confert removens impedimenta debiti assensus, quae extarent propter pravitate animorum. Valorem vero quemdam licet imperfectum adderet quidem suffragium Episcoporum si ipsum solum esset, sed definita veritate per Romanum Pontificem, cum ea ab iis valorem amplius recipere nequeat, nullum actu valorem addit.

IV. Hinc solvi potest quaestio an concilia oecumenica sint necessaria. Et quidem si sermo sit de necessitate simpliciter, ac de synodo definiente et iudicante, non solum consulente, negative respondendum est; nam satis est per se definitio Pontificis: robor vero illud extrinsicè quod definitio totius coetus Episcoporum adderet definitioni Pontificis, 1° requiri potest propter contingentia adiuncta sita in hominum voluntate: 2° requiritur non ut debitus assensus sit, sed ut facilius obtineatur: 3° ea extrinseca confirmatio haberi per se potest etiam per solum subsequentem consensum, qui debetur, Episcoporum definitioni Pontificis.

Si sermo sit de synodo saltem consulente, pro suppeditanda notitia clara dogmatis definiendi, negandum est rursus necessarium simpliciter esse concilium oecumenicum; nam satis esse potest concilium particulare, ut frequenter factum est. An saltem concilium particulare Episcoporum pro accurata investigatione dogmatis est simpliciter necessarium? Est quidem simpliciter necessaria opportuna consultatio, nisi extraordinaria auxilia et miracula exspectentur: at eam necesse fieri per Episcopos non ausim affirmare. Nam rei natura solum exigit ut consultatio fiat, ea vero a Romano Pontifice per suos Cardinales et Theologos potest etiam accuratissime fieri: lex vero Christi id praecipiens nulla afferri potest; licet id ex ipsa Christi institutione Episcopatus suaderi non negemus. Sane Romano Pontifici

alias esse examinis praevententis vias praeter Synodos Episcoporum significat Vaticanum Concilium Sess. IV, c. 4.

Nihilominus frequenter Ecclesia, ipsaque Romana Sedes censuit concilia oecumenica necessaria esse sive pro resarcienda disciplina, sive pro controversiis fidei finiendis, avertendoque periculo erroris a fidelibus, eademque concilia ut commode celebraret auxilium secularium potestatum imploravit. Id quidem non negamus. Verum haec necessitas oritur ex ea lege qua quaelibet auctoritas socialis tenetur convenienti modo consulere bono societatis. Porro si haec lex postulat usum alicuius medii, quia illud exigitur ab ipsa institutione societatis, et illud solum est per se efficax, necessitas huiusmodi medii adhibendi in bonum societatis erit dicenda necessitas simpliciter: si vero ea lex postulat usum alicuius medii siti in sua potestate, quia attentis quibusdam contingentibus conditionibus, in quibus societas versatur, moraliter fieri posse non videtur ut aliter ordinarie finis intentus obtineatur, necessitas talis medii adhibendi erit dicenda necessitas secundum quid; nam non per se ac si ipsum solum sit capax huius effectus, sed propter id quod per accidens occurrit postulatur a causis finalibus. Atqui haec et non alia fuit unquam necessitas synodorum oecumenicarum. Utilia ergo sunt quam maxime et secundum quid necessaria non quidem semper, sed identidem concilia oecumenica. Quod si aliquando sanxerunt Pontifices ut statis temporibus Concilia oecumenica celebrarentur (cf. dicta in Th. XVI, III de Martino V et Eugenio IV), id propter peculiare conditiones Ecclesiae tunc temporis, et potissimum ut quadam paterna *συγκραταβασει* immorigeros filios ad debitam obedientiam revocarent, concessisse vel decrevisse dicendi sunt.

Utilitas et necessitas secundum quid Conciliorum est ea quam significavit Leo ep. XXXVII de causa Eutychetis « cum tam evidens fidei causa sit ut rationabilius ab indicenda Synodo fuisset abstinendum ». Adsignificat nimirum in causis minus evidentibus, in quibus dubitatio vel dissensio non mediocris existit, opportunum esse synodos indicare, quibus vel Pontificis definituri inquisitio dirigatur, vel sollemniter consentientibus omnibus discordiae facilius sopiantur. Item Innocentius III ob eandem rationem fassus est in causa divortii Regis Philippi sibi non licere aliquid determinare absque generalis deliberatione concilii (epist. 106, L. XV ad Philippum Regem francorum). Nam praeterquamquod agebatur quoque quaestio facti eaque gravissima, et erat a Romana Sede amolienda offensio Regis, ac promptius cessisset Rex auctoritati omnium; requirebat Innocentius deliberationem universalis concilii ut debita cognitione se praepararet ad sententiam edendam in re quae ad ius divinum spectabat, cuiusmodi est matrimonii indissolubilitas.

Hactenus locuti sumus de necessitate Conciliorum oecumenicorum quoad quaestiones fidei solvendas. Si vero agatur de canonibus disciplinae constituendis, facile patet 1° quod cum canones huiusmodi attemperandi sint exigentiae et utilitati Ecclesiae, consultatione opus est, quam potissimum singuli Episcopi suppeditare valent qui oves suas cognoscunt: patet 2° consultationem hanc melius institui fructusque uberiores allaturam, si Episcopi una coeuntes studia sua simul conferant: 3° patet suavius et facilius obtentum iri ut canones editi serventur in Ecclesiis singulis, si eorundem Episcoporum, qui ipsorum observationem curare debent, fuerint auctoritate firmati. Hinc utilitas in hac re Synodorum oecumenicarum, atque earundem in certis adiunctis necessitas secundum quid manifesta est. At non est necessitas simpliciter. Quia auctoritas Primatus sufficit ex se sola ad condendos huiusmodi canones. Etsi autem consultatio requiratur; 1° haec per se potest institui a Rom. Pontifice per alios quam per Episcopos, puta per legatos suos: 2° quamvis consilium Episcoporum adhibeatur, si tamen heic sistitur, nondum habetur id quod proprie dicitur Synodus oecumenica, licet Episcopi una conveniant; Synodum enim proprie dicuntur facere Episcopi cum iudicant et decernunt. Eorum autem decretum necessarium simpliciter non est ut lex feratur pro universa Ecclesia.

V. Obiicitur tamen Augustinus, qui loquens de controversia Cyprianum inter et Stephanum circa baptismum ab haereticis collatum significat causam sententia Stephani non fuisse finitam, potuisse Cyprianum dissentientem a Stephano in unitate manere, et reapse mansisse, opusque fuisse decisione plenarii Concilii ad terminandam litem. Ita frequenter in libris de Baptismo contra Donatianos. Ita in Lib. I, c. 18: « Hoc de baptismo pie credamus quod universa Ecclesia a sacrilegio schismatis remota custodit. In qua tamen si aliud alii adhuc de ista quaestione, salva pace, sentirent, donec universali concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanae infirmitatis errorem excusaret caritas unitatis ». Lib. autem II, c. 4: « Nec nos tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati, cui et ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium Concilium solidaretur ».

De Concilio illo plenario, universali ex toto orbe, totius Ecclesiae (ibid. L. V, c. 17; L. I, c. 18), ad quod Augustinus provocat, confer Dissertationem eruditissimi viri David subiectam suo operi iam citato. Verum solutio difficultatis non ab hoc pendet: sed a sententia Augustini, qui theoretice docere videtur sola sententia conciliari finiri quaestiones fidei saltem obscuras, quemadmodum censet Bossuet.